



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas**

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ Agrippinæ, 1709**

XXVIII. Julii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)



S. Innocentius primus hujus nominis Papa ut suæ in Mariam devotionis perpetuum relinqueret monumentum, in ejusdem honorem latius & constantius propagandum, Sabbathinam in Ecclesia abstinentiam à carnibus instituit. *Mayr.* Ubi abstinentia, ibi securior innocentia.

S. Innocenti ora pro me Deiparam, ut à carnalibus desideriis ita semper abstineam, ut anima mea de hoc exilio ad mensam Regis æterni deduci mereatur, ubi plena satietas sine fastidio, ubi gustabo, quàm suavis sit Dominus. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde omnibusque tam corporis, quàm animæ vtribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum, quantum possibile erit, placere & servire desidero. Hoc unum per pretiosissimum JESU Filii tui sanguinem, &c. f. 190.

Ad quod impetrandum Sanctæ Annæ cultum apud alios quantum possum promovere adnitar, ut sic in Matre Filia quoq; honoretur.

Principatum habet Virgo dimidii Regni DEI; Regnum quippe DEI consistit in pietate & misericordia. *Gerson trac. 4. in Magn.*

Quæstio: An Sancta Anna ante Beatissimam Virginem desponsatam obierit?